DE METHODIS
SVFFVSIONEM OCVLORVM CVRANDI
A CASAAMATA ET SIMONE CVLTIS
DISSERIT

VIRISQVE
EXPERIENTISSIMIS DOCTISSIMIS
IO. CAROLO FRIDER.
KOEPPE
ATQVE
IOHANN IACOB HAASE
MEDICINAE DOCTORIBVS NVPER CREATIS
NOVOS HONORES GRATVLATVR
LVDI EXAMINATORII
QVI
VIRVM EXPERIENTISSIMVM ATQVE AMPLISSIMVM
D. CAR. CHRISTIAN. KRAVSE
FACVLT. MEDICAE LIPSIENSIS ASSESSOREM, REL.
MAGISTRVM VENERATVR,
INTERPRES
CHRISTIAN GOTTHOLD FELLER, M. C.

LIPSIAE,
IMPENSIS SIEGFRIED LEBERECHT CRVSII
MDCCLXXXII.



EXPERIENTISSIMIS ATQVE
DOCTISSIMIS
VIRIS

KOEPPIO
ATQVE
HAASIO

S. D. P.
CHRISTIAN GOTTHOLD FELLER.

Solet illa humanae naturae conſtans et quaſi ſtabilita lex eſſe, Amici animo meo cariſſimi, vt, ſi quando cuiuscunque generis felicitates amicitiaeue dulciſſima gaudia, vel primis labris tantum delibauerimus, ea ocyus

 ſerius

ſerius nobis triſte eripiat fatum. Ac ſane vel ego ipſe eius inconſtantiae iam iuuenis dum permulta teſtimonia ſenſi et, proh dolor! nunc ſentio quam maxume. Nondum enim ea vulnera penitus occalluerant, quae communis noſter amicus experientiſſimus Knothius profectione ſua animo inflixerat, cum ille Veſter ex collegio examinatorio atque vrbe diſceſſus denuo recrudeſcit. Neque vero vel Vobis vel vlli iſte dolor iniuſtus atque ſuperuacaneus videri poteſt, qui vel vnquam expertus eſt, quantopere animum angat eorum diſceſſus, quibuscum vrbis Praeceptorumque communio, litterarum aemulatio, amicitiae denique arctiſſimum vinculum nos coniunxit. Attamen, cum melior ſors Vos ad praemia auocet, honoresque nuper acquiſitos felici medica pra-

xi

xi coronare conſtituerit, iam ipſe intelligo rem admodum incongruam indecentemque me ſuſcepturum eſſe, ſi laetos hosce dies miſeris quaerimoniis lamentisque contaminarem. Potius itaque pia vota Vobis apprecor, quae tum huic ſeculo, tum eorum, quorum nomine haec transſcribo, animis, quam maxime reſpondent. Faxit igitur ſupremum Numen, vt Vobis natura ſemper obtemperet, nec vnquam ſub Veſtro ductu a conſueto tramite declinet! Ita, ſi ad ſcientias Veſtras parilis fortuna, quam Cous ſenex ipſe in Medico requirit, atque ego vel per anticipationem aliquam Vobis ſpondeo, acceſſerit, nil ſane ſupererit, quod vel Vos Vobis ipſis, vel ego cum optimis commilitonibus vltro apprecemur. Amicum in me et ſocietatem no-

 ſtram

ſtram animum veſtrum ita probaſtis hactenus, vt vereor, ne, ſi de eius perpetuitate ſollicitus ſim, de integritate et ſinceritate eius dubitare vìdear. Valete.

Si



Si quod morborum genus ſit, in quo indefeſſa medicorum ſtudia multum et cum laude elaborarint, erit ſane id, quo oculorum vitia variasque iis medendi vias perſecuti ſunt. Non enim tantum morborum agmen tercenta et quod excurrit nomina complet, verum etiam variae encheireſes in tam diuerſis oculorum operationibus accreuere, atque quotidie nouis inuentis adhuc creſcunt adeo, vt metus ſit, ne olim aliquis 'Ιατρομάστιξ eos nimiae ſubtilitatis arguat. Quae cum ita ſint, habere mihi videor excuſationis iuſtiſſimam cauſam, ſi hac data oportunitate duas nouas methodos ſimul proferre nullus dubito. Veniam autem hanc lectores mihi eo lubentius conceſſuros eſſe plane ſpero, quod non ſcribendi pruritu ſed neceſſitate cogente compulſus animum ad ſcribendum appuli.

Itaque non ineptum exiſtimavi, duas ſuffuſionem curandi Encheireſes curatius deſcribere, quarum altera quidem, a Casaamata, viro ingenuo, ſaepius apud nos celebrata, vix non omnium qui, ne dicam medicinae verum humanitatis ſtudio ardebant, oculos animosque haud ita pridem in ſeconuertit. Siquidem optimus noſter Elector, vere Avgvstvs, ei Dresdae, quorſum casamativs hinc abierat, ipſe intereſſe non dedignatus eſt; altera vero, quamuis vel ipſo autoris vitio famae atque celebritatis apud nos ſaltem parum acquiſiuerit, tamen non vtique contemnenda videbatur. Accedit et illud, quod neutra harum operationum, quantum ego quidem memini, hucusque tota deſcripta eſt. Quam enim Illuſtris sommervs in vtiliſſimo vernaculo libello *) prioris notionem iniicit, ea tamen in allegato libro non prorſus abſoluta eſt,

*) Qui inſcribitur: *Sammlung auserlesner Abhandlungen für Wundärzte*, 1779. apud Weygandum locus eſt in 2. Sectione Art. 14. p. 199. vbi etiam Uncum delineari curauit.

eſt, neque ex ea eluceſcit, an CASAMATIO Brunouici vlla Cataractae medendi occaſio obuenerit? De altera vero, poſtquam eius autor abierat, ne fando quidem audiui.

His praemiſſis ad operationes ipſas progrediar, orſus a Caſamatiana, vtpote quae ratione temporis proxima eſt. Menſe igitur Maio anni poſt ſeptuagesimum noni Lipſiam veniebat Ophthalmiater CASA AMATA, qui Italum atque Patauinum Doctorem ſe profitebatur. Is, ne eum occaſio dexteritatem ſuam in operando demonſtrandi deficeret, adduxerat in vtroque oculo coecum aliquem Levcopetrenſem ciuem ſecum, in cuius curatione tertia poſt eius aduentum die operationes ſuas auſpicabatur. Cumque aditiali hac curatione vix non omnium Lipſienſium Medicorum atque Chirurgorum expectationi ſatisfeciſſet, aduolabat ad eum magnus aegrotorum numerus, quorum vel quadra-

ginta cataractas extraxit, *) ego vero harum operationum vel quatuor et viginti, Magnificum BOSIVM, optimum patronum, plerumque ſecutus interfui; ex iisque laudatam methodum deſcribere allaborabo.

Ne vero ſine ordine progrediar, primo de praeparatione, deinde de ipſa curatione atque deligatione, nouiſſime de ſupellectile, qua in operando vtebatur, pauculis diſſeram.

Ante curationem quidem ducebat aegris aluum, ſanguinemque, ſi is labem aliquam contraxiſſe videbatur, edulabat, abundantem vero emittebat; In his autem omnibus rationalem quidem chirurgum, neque vero praeterea quidquam animaduerſione dignum deprehendi, praeter hoc, quod is in praeparatione

*) Praeter cataractae operationem ſuſcipiebat optimus Vir vix vllam aliam. Hoc tamen memini, eum fabro cuidam ferrario, cui chalybis fruſtulum in cornea haerebat, magnetis ope ad imitationem HILDANI extraxiſſe, quem extrahendi modum ab vxore ſua didiciſſe refert HILDANVS, Cent. V. Obſ. XXI.

ratione aeque ac poſt curationem millepedes ſaepius adhiberet.

In ipſa autem Ἐγχειρήσει ſequens admodum concinnus modus, ſe atque aegrum collocandi, prius conſiderandus venit. Menſam nimirum mediae altitudinis apponebat in ſatis lucido conclaui, quod velorum ope inter operandum obſcurari poterat, mediae plerumque feneſtrae, ante hanc vero tres ſellas ita collocabat, vt earum ſedes feneſtrae aeque ac menſae aduerſae eſſent. Menſae operator, aegrotus medio aduerſo ſedili inſidebat, chirurgi pedes vero reliquis duabus ſellis fulciebantur *). Hac ratione poſitus chirurgus reclinabat aegroti caput paululum illudque, poſtquam alterum oculum taenia obſcurauerat, admi-

*) Quantum ad felicem operationem commodus firmusque ſitus conferat, intellexit iam FABRICIVS HILDANVS qui ſingulare in hunc vſum fabrefactum Scamnum invenit et in Cent.IV.Obſ.XVI.depingi curauit. Attamen haec CASAMATII inuentio illud ſcamnum longe ſuperat, tum quia vbicunque locorum parari poteſt, tum etiam ob id quod ſpectatorum turbam, quae operanti ſaepius moleſta eſt, egregie arcet.

administro alicui firmandum dabat, qui etiam alterutra manu superiorem palpebram vulgari oculi speculo, lato nimirum obtusoque vnco Fig. 3. lit. a) indigitato leuabat. Inferiori palpebrae vero immittebat simile sed minus speculum, vt ex eius inferiore vnco ponderis ergo dependens clauicula palpebram deprimeret. Tum inclinabat CASAMATIVS corpus anteriora versus, cubitos genubus imponens, atque manu altera scalpello, Fig. 2. altera vnco, Fig. 1. armata, operationem auspicabatur.

Immittebat nimirum vnci spinam c) Fig. 1. in corneae interiorem marginem, ad distantiam dimidiae lineae ab albuginea, eodem vero temporis momento e regione scalpelli mucronem adhibebat, eoque per corneae diametrum propulso, punctum, quod vnci spina fecerat, attingere annitebatur. Postquam vero scalpelli cuspis in ea regione corneam secundum transfoderat, remotum vncum invertebat ita, vti in quarta figura expressum est, quo cultelli gibbera superficies super vnci mi-

norem

norem curuaturam glifcere, neque tamen fua acie profundius coniunctiuam vsque fecare poffet, ficque fcalpellum leniter protrudendo perficiebat fectionem ipfam, eamque femicircularem, cuius diameter effet ipfius corneae diametrus transuerfa. Vbi illa facta erat, commutabat inftrumenta, atque altera manu latam depreſforiam acum *), altera fpatulam feu cochleare dauielianum aliquod fumebat. Hoc refectam corneae partem leuabat, illo lentis capfulam deftruere lenique vacillatione cataractam ad exitum praeparare moliebatur. Hoc ipfo autem temporis momento feneftras velis operiri iuffit, quo facilius, adhibita leni bulbi preffione **), per ampliatam pupillam fuffu-

*) Vel aliquando etiam Tenonianum cyftitotomum, cuius iconem vide in Richteri Abhandl. vom grauen Star. fub lit. D.

**) Vitrei humoris effluxum, qui vel quater preffionem fubfequebatur, vilipendebat Cafamatius cum Richtero atque Stollio, neque ego aliquem aegrotorum inde noxam aliquam tuliffe memini, quamuis in vno vel paruum cochleare effluxerat. Quid quod, Stol-

ſuffuſio ex interiori ſede progrederetur. Omnia haecce autem admodum celeriter fiebant; in primo enim coeco, vtriusque oculi operatio intra quatuor minutorum ſpatium abſoluebatur.

Ac haec quidem ſtatuta methodus erat, quam ſi fieri poterat, ſemper perſequebatur. Quodſi vero, idque aliquoties accidiſſe vidi, corneae iuſto minus vulnus cataractae egreſſum denegabat, tunc vtebatur recta forficula quae vulnus ampliando eius exitum facilitaret. Hoc igitur modo omnis generis ὑποχύματα, lactea, caſeoſa, purulentaue fuerint, extraxit, vno excepto, quod eo ipſo tempore, cum cyſtidem perfodere vellet, ima petebat adeo, vt extractionis loco veram depreſſionem per pupillam celebraret.

Si quondam, quod in colliquatis ſuffuſionibus potiſſimum fieri conſueuit, caſeoſae materiei

Stollius etiam in Rat. Medendi. p. III. p. 445. effluxum hunc diram Opthalmiam mitigare contendit.

teriei grumi adhuc pupillae inhaerebant, illi per anellianam Syringam, cuius cannula tamen aliquanto maiori orificio inſtructa erat, aqua tepida, cui tantillum ſpiritus vini adiectum erat, eluebantur. Abſciſſae laciniae ad vulnus lenis applicatio, palpebraeque obductio erant operationis partes. Deligationem vero variis modis Virum dexterrimum inſtituiſſe memini; in prioribus enim aegrotis adhibebat faſciam, *) cui duae Spongiae vnum transuerſum digitum a ſe diſtantes adſutae erant, quas aqua, cui ſpiritus vini tertia adiecta erat, madefactas oculis ſuperimponebat. Ipſa vero duobus foraminibus exſecta faſcia concedebat, vt per ſyringam nouus humor adiici ſpongiis poſſet. Poſtea vero in reliquis operationibus, tantum linteis carptis eodem humore madentibus aegrotos deligabat. In reliqua cura-

*) Eandem faſciam deſcribit Ill. Sommerus. l. c. p. 207, ita tamen vt, an ea a Caſamatio, an potius ab optimo Sommero inuenta ſit, non eluceſcat, quod tamen vltimum mihi admodum veroſimile videtur.

curatione plane nihil, quod a communi ratione declinaret, inueni; venae ſectiones enim, in iis, quorum animus alma luce valide commotus erat, veſicatoria, leniaque laxantia adhibuit ingenuus Caſamata ita, vti illud a rationali chirurgo expectari poteſt.

Haec de Viro eiusque methodo in vniuerſum dicta ſunto; propoſitus ordo poſtulat, vt ad eius ſupellectilem progrediamur. Ac in ea quidem primariam attentionem mereri videtur vncus *) Fig. I. ad romanae litterae S imaginem flexus, quo inter operandum oculum firmabat. Conſtat is (vid. Fig. I.) ex manubrio, a) vnco, b) eiusque ſpina; ad ipſam vero ſpinam duas rotundas alas elimatas habet

*) Manubrium noſtrae iconis differt quidem ab illo, quod Ill. Sommerus l. c. delineari curauit, ſiquidem illud, rotunde tornatum, noſtrum vero, ſuperficiebus inſtructum eſt, quod galli *taillé a pans* dicunt. Nos vero hoc tum ea propter quod Caſamatius etiam eiusmodi manubrio inſtructum vncum habebat, tum quod illud firmius teneri poteſt, potiſſimum eligimus.

bet, quibus ſpinae vlterior in oculum ingreſſus atque cum hac iuncta iridis laeſio praecavetur.

In operando vero index maiori flexurae incumbit, manubrium autem reliquis digitis eo quem tertiae figurae littera d) quodammodo commonſtrat, modo tenetur. Culter, Berengariano quidem vtcunque ſimilis, concauam atque gibberam ſuperficiem monſtrat, quarum haec inter operandum iridem a ſcalpelli acie remouere, illa, operanti aduerſa, aquoſo oculi latici effluxum concedere debet. Differt ille tamen a Beregariano, Wenzeliano atque Richteriano ratione figurae atque craſſitiei (quam diſſecta ſuperficies Fig. 2. lit. b* diſtincta exhibet) admodum; neque ego, an ex hac differentia commodi aliquid redundet, definire auſim, cum ea, quae Caſamatius ratione remotionis iridis adducebat, metum preſſionis quae in tanta craſſitudine cultri non mediocris eſſe debet, neutiquam remouerint. Geminis huius generis cultris, opus chirurgo eſſe ex deſcriptione quisque intelligit.

Iam ſpecula ſpeculemur. Eorum ſuperius vulgare Cheſeldenianum ſiue obtuſus pauloque latior vncus, inferius operatoris inuentum erat. Hoc ex argentea framea, vnum et ſemiſſem pollicem longa, in vtroque fine, oppoſita latera verſus flexa formatum eſt, quapropter illud etiam ſatis facile in aliam formam, ſi quando aegrotorum nimis tumdiae genae maiorem curuaturam depoſcebant, a chirurgo flectebatur. Reliquorum inſtrumentorum, vti clyſteris oricularis Anelliani, cochlearis Dauieliani, et acus, qua cyſtitotomi loco vtebatur, enucleatio, omnino taedioſa eſſet; itaque praeter nomina nihil vltro addam.

Ad alteram potius progrediar methodum, cuius autor SIMON quidam, Gallus, duos annos ante CASAMATIVM Lipſiam veniebat, et paulo poſt ceu ὀλιγοχρόνιον φάντασμα euaneſcebat. Is etiam coecum aliquem colonum ceu victimam ſecum adduxit, eamque altero poſt aduentum die miſere et quidem ſequenti ratione mactauit. Cum nimirum medicorum atque

atque chirurgorum magna caterua, conuenisset, aegrotusque sellae, in qua operationem postea patiebatur, insiderit operator tamen nullus comparauit, quippe genubus incumbens in sua diaeta, ceu de salute desperans, deprehendebatur. Accersitus tandem veniebat spiritum frumenti egregie redolens, statimque rem desperatam aggrediebatur.

Primum quidem duas sellas sibi inuicem aduersas in medio fere conclaui posuit, demissiori aegrotus, fenestram respiciens, altiori chirurgus insidebat. Postmodum obligabat dextrum oculum, et alicui chirurgorum caput firmandum dabat. In palpebrarum diductione vero, pressionem digitis ministri factam sufficere opinabatur; cumque hoc ob continuam illacrymationem, plane fieri non posset, nullum tamen ei auxilium in hunc diem vsque subuenisse crediderim, nisi chirurgorum Lipsiensium aliquis lintea pura, quibus minister digitos muniret, suppeditasset. His ita dispositis, dextraque scalpello Fig. 5), sinistra retinaculo

Fig. 7. inſtructis operari incepit ita, vt retinaculi cuſpidem ſuper naſi radicem oculum verſus dirigens interno corneae margini, cultelii vero mucronem oppoſito lateri infigeret, *) deinceps vero hoc vrgens ſectionem perficeret fere parabolicam.

Ac hucusque quidem tolerabilis adhuc fuiſſet operatio, cum vero ad obſcuratae lentis exitum ventum eſſet, tunc proh dolor! chirurgi animus conſilii expers maxime appa-ruit. Cum enim totam lentem arachnoideamque ſimul eliminare, illudque dauieliano cochleari, quamuis id ob adhaerentem capſulam plane fieri non poterat, efficere conaretur, perfodiebat poſteriorem oculi cameram miſerabiliter, ipſamque iridem vehementer vexabat. Tandem vero cum lentis fruſta volſellae atque cochlearis ope extraxiſſet, operationem finiebat, cuius duratio in vtroque oculo horae

*) Hoc, quod ex chirurgi mente, vno temporis momento fieri debuiſſet, titubantes eius manus poſt quinque vel ſex conatus demum perficiebant.

horae et quadrantis ſpatium emetiebatur. Inſequens deligatio ſimpliciſſima erat, ſiquidem plumaceolis, ex aqua vulneraria expreſſis, ſimplicem contentiuam faſciam iniiciebat, faſcia vero mitrae aciculis ope annectebatur. Quamuis vero aegrotus tam multa perpeſſus eſſet, videbat tamen ſtatim poſt operationem, grandiora obiecta ceu per nebulam, quam tamem laetitiam neceſſario ſubſequens vtriusque oculi exulceratio ſuſtulit. Neque vero SIMON ceu alter Stylites pedem Lipſiae figebat, verum potius, altera poſt operationem die clanculum ſeſe ſubduxit.

Iam vero quae de viro eiusque dexteritate ſi Diis placet, hucusque dicta ſunt, ea tamen ad eius Inſtrumenta etiam referenda eſſe neutiquam videntur, cum praeprimis eius retinaculum, niſi in ſuffuſionis curatione, ſaltem in aliis oculorum operationibus omnino in vſum vocari poſſit; qua de cauſa etiam eius fabricam, paulo fuſius declarare apud animum conſtitui.

In orichalceo nimirum cauo Parallepipedo, cuius veram magnitudinem septima Icon sub littera d) habet, decurrunt duae chalybeae laminae, quarum altera a) eaque inferior lanceolata cuspide praedita, altera vero, h. e. superior, in obtusum capitulum elimata est; remoram hanc recte dixeris, siquidem lanceolae vlteriorem ingressum in corneam coercet. Quaeque harum laminarum habet in posteriori fine cochleam foeminam quae, cochleas mares e) in se recipiens, illam instrumento eo modo annectit, vt vtraque lamina antrorsum retrorsumque in sulco g) moueri, atque ea ratione lanceolae longitudo contemperari possit. Vtriusque laminae situm vero alatae cochleae c) pressio firmat, cuius vt et eburnei, superiori in parte nigra linea distincti manubrii vlteriori descriptione non opus est, cum ea commodius in tabulis cerni ac describi possint.

Cultel-

Cultellum vero, quod attinet, habet ille ſi latitudinem, longumque cultelli collum exceperis, omnino cum Sharpiano *) ſimilitudinem, niſi quod eius triangularis lamina, maximam latitudinem corneae radio reſpondentem, vtramque ſuperficiem concauam, dorſumque paulo craſſius habet; quae omnia autem laminae diſſectae ſuperficies Fig. 5 b* vberius exhibet. Neque ſane mihi vltro ambiguum eſt, hoc ipſo cultello idem, quod aliis effici potuiſſe, dummodo dextera chirurgi manus, quae vtique primarium inſtrumentum eſt acceſſiſſet. Quod idem etiam iudicium de noſtri retinaculo tulerim, quod quamquam cum pamartiana oculum firmante acu, hoc incommodum habeat, quod illud ſuper naſum applicari debeat, videtur tamen in Οφθαλμοξύσει verbi cauſa, et ea chemoſeos ſpecie quae ſanguinem inter coniunctiuam adque adnatam effuſum habet reliqua inſtru-

 menta

*) Qui graphice delineatus eſt in: Philoſoph. Tranact. vol. XLVIII, P. I. pag. 161.

menta, ratione ſecuritatis certe ſuperare. Quae enim poſt Woolhouſiani βλεφαρόξυστου expulſionem, in chirurgorum ſcholis lanceolae in emplaſtrum inuolutio commendatur, ea tamen vtique chirurgum non tam ſecurum facit, ac noſtrum inſtrumentum, quod lanceolae vulnus atque eius profunditatem ad capilli craſſitiem determinat. *) Idem de paracentheſi in hydrophthalmo, de puris in hypopyii emiſſione dicendum eſt, in quibus tum Mauchartii acum triquetram, tum etiam Woolhouſii lanceolam longe antecellit. Cum enim neque illius cannula in oculo tuto relinqui poſſit, neque haec alium ac vulgaris lanceolae vſum praeſtet, ambo inſtrumenta vero in determinatam in oculum irruendi, quod ſaepius ſine chirurgi culpa fieri poteſt, licentiam habeant, praerogatiuam ſane merebitur noſtrum, quo, ſine incon-

*) Memini quidem me ſaepius Hebenſtreitium palpebrae ſcarifationem ſimplici lanceola perficientem admiratum fuiſſe, at vero quis vitio vertat, ſi in tanta HEBENSTREITIORVM raritate de ſecurioribus inſtrumentis cogitauerimus?

incongruae laesionis metu sufficiens vulnus oculo infligitur.

Superesset adhuc vt aliquam harum operationum commendationem, vel saltem laudes, quas extractio prae depressione mereatur, subiungerem, iam vero, cum doctissimorum virorum labores rem nondum composuerint, esset id temerarium si ego, vtpote artis tiro hancce litem dirimere conarer. Potius Casamatii vltimam acu institutam operationem quae eo intuitu mihi integrorum voluminum instar fuit, succincte apponam. Cum HEBENSTREITIVS clarus apud nos et suarum rerum gnarus chirurgus, methodum Casamatae aemulatus fuisset, seque depressionem etiam callere atque exercuisse pronuntiaret, pollicebatur hic, eius quoque operationis specimen ante decessum se editurum esse, promissisque paulo post stetit. Elegerat sibi in hunc finem publicis eleemosynis sustentatam, ex suffusione coecam, et inde ab aliquot annis ob trichiasin lippientem aniculam; priori, per acum

 alteri

alteri, per argenteam vulſellam mederi decreuerat.

Ac quamuis quidem omnino quaeri poſſit, liceatne, in tanto Ophthalmiae metu recte ciliorum admodum irritantem euulſionem ſuſcipere, nos tamen de hac re, vti et de ipſa non ita bene inſtituta euulſione nihil dicamus, potius depreſſionem ipſam aggrediamur.

Perficiebat autem eam ante aegrotam ſtans ita, vt ſiniſtra palpebras diduceret, dextra vero lanceolam teneret, cuius puncto in conſueto ſcleroticae loco inſtituto acui, quae Briſſoniana erat *) viam parabat.

Vix autem immerſerat acum, cum ſtatim totam anteriorem cameram inundans lacteus humor rei peruerſum ſtatum declarabat. Quamuis vero operator acu extemplo remota, corneae inferiorem marginem incideret, atque ſyringae anellianae applicatione, effuſum humo-

*) vid. Heiſteri Inſtit. Tab. XII. Fig. 5. theotiſcae edit.

humorem eluere moliretur, fiebant tamen omnia isthaec incassum, quandoquidem bulbi suppuratio, omnem visus recuperandi spem penitus tollebat. Num vero in tanta diuersorum cataractarum genera diagnoscendi incertitudine,*) quae ipsum CASAMATIVM cui sane multae cataractae obuenerant fefellerat, depressio extractioni adhuc anteponenda sit, eorum, penes quos vberior experientia limatiorque mens est, iudicium esto.

ICO-

*) Hanc nostram sententiam vix, locupletiori, quam illustris RICHTERI autoritate confirmare valemus. qui l. c. p. 10. omnia cataractarum generum signa sibi imposuisse, expressis verbis scribit.

ICONVM EXPOSITIO.

Fig. 1ma Vncum et quidem litt. a) manubrium, b) vnci corpus, c) ſpinam, c*) eandem naturali magnitudine bis maiorem indigitat.

Fig. 2da a) Caſamatiani ſcalpelli manubrium, b) laminam b*) laminae ad perpendiculum diſſectae ſuperficiem habet.

Fig. 3tia a) ſuperioris ſpeculi imam partem, b) inferioris ſitum appenſamque clauiculam, c) vncum, d) chirurgi manum, e) ſcalpellum, ſignificant.

Fig. quarta vero, a) inuerſum vncum, b) diſſectam corneam exponit.

Fig. quinta Simonis cultellum, ita vt a) manubrium, b) laminam, b*) eam diſſectam demonſtret.

Fig. ſexta a) Simonis retinaculum, b) vero cultellum commonſtrat.

Fig.

Fig. 7. Retinaculum idem, a latere et ſuperiore ſuperficie conſiderandum exhibet. In vtroque autem ſchemate literarum idem, isque ſequens ſignificatus eſt, vt nimirum a) lanceolae cuſpidem b) huic incumbentem remoram, c) cochleam alatam, d) inſtrumenti corpus in cuius ſulco capitatae cocleae e) decurrunt, f.) vero manubrium g) ſulcum ſignificet, a*) et b*) autem, lanceolam atque remoram ex thecula d) exempta ob oculos ponit.




Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.
Fig. 5.
Fig. 6.
Fig. 7
f
e
g
d
c
b
a

